

his oppositi, non συμπολίται τῶν ἁγίων, *conciues Sanctorum*, Eph. II. 19. Conuitiis proscindebant Christianos, cum suo *Crucifixo*, uid. KORTHOLD, de *Calumn. Paganor. in Christian.* C. IV. p. 33. seqq. Christum uocabant modo *hominem, quod personis etiam uilibus infame sit, crucis supplicio interemtum*, ap. ARNOBIUM, C. I. contra *Gent.* modo ἀνεσκοπισμένον σοφιστήν, uti LUCIANVS, de *morte peregrini*, OO. T. II. p. 568. Hinc miserrimae sunt abiicientium haec media Gentilium, in Scriptura descriptiones, Es. IX. 2. XLII. 6. 7. XLIX. 6. LX. 2. Luc. I. 79. Rom. I. 28. seqq. Eph. IV. 17. 18. 19. V. 8. Sine *solatio* erant, I. Thess. IV. 13. Quare pulcherrima saepe loquentes, cymbala saltem inania erant, u. g. diem transactam, uespere meditari suadebant, (omnem tamen nescientes poenitentiam) sibi acclamabant: hominem te esse, memento (et mori nunquam didicerant) ad ens entium prouocabant, abituri ad plures (sed fundamentum omnis misericordiae patris, in Christo, scire recusabant.) En itaque pessimos mediorum contemptores atque uel ideo aliquando ἀναπολογήτες.

XVII. Instituti nostri ratio autem ἀναπολογησίαν *infantum Gentilium* euincere adhuc, a nobis exigit. Quare statim uela uentis dabitur, atque, cum supra §. 2. adductae rationes, quod Deus non sit in causa damnationis *Gentilium adultorum*, ad *infantes* quoque accommodari possint, his scilicet in sacris medium manifestatum esse nullum, quo aliquando praetento et allegato, iudicium euadere possint. Premit certe hos, imo supprimit peccatum originis. Quid iu- *P. O. pre-* uat PETRUM CHAVVINUM, in *Tr. de Relig. Nat. P. III. C. V. p. 352. mit,* BELLARMINUM, L. V. de *amissione gratiae et statu peccati*, C. IV. CALIXTUM et HORNEIUM, P. II. *Apol. contra Duschberum*, SOCI- NVM, de *statu primi hominis*, C. X. p. 31. SMALCIUM, *Disp. II. contra Franzium*, p. 86. *Caluianos* imprimis, de quibus omnibus conf. GRAPIVS, in *Theol. recens controu. P. II. p. 181.* et EDZARDVS, in *Pelagian. Calvinian.* p. 15. seqq. negasse, peccatum in- esse infantibus? Quid prodest Pontificiis, affirmare, *infantes, pro-* pter peccatum originis, non damnari? siquidem *Dauides* ingenue *damnabile* profitetur: *in peccatis conceptus sum*, Ps. LI. 17. et Paulus respon- *omnino:* det, Rom. V. 2. cui etiam *Libri Symbolici* assentiuntur. Iuxta CON- FESSIIONEM AVGVSTANAM enim, *peccatum Originis damnat* et affert nunc quoque mortem his, qui non renascuntur per Baptismum